

## PRÆFATIO

tura sit, consulere vivi ac prospicere debemus, ut illorum solitudo & pueritia quam-firmissimo præsidio munita sit. Pariter & nos LIBROS illos longe nitidissimos credimus, quos Parens & Auctor ipse ita emancipat, ut ultimam illis imponat manum, cum inter aliorum obstetricia raro Ilithyiam faustam experiantur, & nemo tam affabré penetrare poterit, quo olim Auctor ipsius collimaverat.

Hinc Chirurgorum Germanorum Antistes præclarus *Gulb. FABRITIUS*, quem vulgo à patria *HILDANUM* cognominant, *Cent. IV. Obs. 2.* ad Casp. *HOFMANN.* scribit: *RARO SCRIPTA POSTHUMA MENTEM AUCTORIS RECTE ASSEQUIUNTUR.* Hocque ibidem comprobat Chirurgiâ Magni rei Anatomicæ Restitutoris *A. VESALII*, quam *PROSPER BORGARUCCIUS* edidit, in qua nonnulla, quæ *VESALIUS* propter immaturam mortem perficere non potuerat, ipse *BORGARUCCIUS* ex aliis Auctoribus decerpit, & Chirurgiæ *VESALII* de verbo ad verbum inseruit, donec tandem perfectum compilârit opus. *Conf. Ejusd. FABRITII tr. de Gangrena & Sphacelo cap. XVII.* Qui idem fatum metuit in posthumis insignis Prosectoris *ADRIANI SPICELII* (vulgo *Rindfleisch*) Uratislaviensis, emissis in publicum Venetiis A.C. 1627.

Et hoc est, quod Rempublicam Medicam inter alios etiam malè habet, & de quo illa illi maxime indolescit, quod Viro *Doctissimo, & Ingenii fertilissimi Medico Dn. D. MICHAELI ETTMULLERO*, Lipsia-Misnico, Medic. & Phil. D. Illiusque Prof. Publ. in Illustrissima Electorali Lipsiensi, uti celeberrimo, ita Practico longè felicissimo, & *LEOPOLDINO-IMPERIALIS Acad. Natur. Curios.* jam ab Anno M. DC. LXX. Collegæ splendidissimo, *maxaqitatem*, & longiori vita longe dignissimo, non licuerit per Parcæ non parcentis inclemantium elegantissimis ingenii sui fetibus unâ omnibus manum ultimam imponere, & in *Theatrum Asclepiadæum* producere.

Prodierunt quidem variæ curiosæ Disp. Medicæ se vivo, in quibus vel ipse Respondentis, vel quod potissimum, Præsidis sustinuit maximo cum Auditorii applausu vices, ita, ut ex ungue saltim, quod in parcemia est, leonem generosum facile cognoscas. Sunt autem, prout partim in *Cl. LIPENII Biblioth. Real-Med. f. 69. a. 209. a. 428. b. 458. b. 474, b.* Præstantiss. *Cornel. à BEUGHEM* in *Bibliogr. Medico-Phys. p. m. 82.* & Excell. D. D. G. A. *MERCKLIN.* in *Lindenio Renov. p. m. 815.* allegantur, partim penes me in Museo meo aservantur seqq.

- I. De CORALLIORUM TINCTURA, Præside D. D. Mart. *Grieß* / Lips. d. 15. Sept. 1665. in 4.
- II. De MORSU VIPERÆ, Disp. Inaug. pro Lic. Præside D. D. Sigism. Rupert. *Sülzberger* & Pro-Cancell. D. D. Paul. Ammanno, teste Programm. Lips. d. 17. Augusti 1666. in 4.
- III. De CHIRURGIA INFUSORIA, pro Loco, Respond. Georg. Frid. Stixio, Lipsiæ d. 30. Octobr. 1668. in 4.
- IV. MEDICINA HIPPOCRATIS CHYMICA, disp. loco publice proposita, Respond. Henrico Warnatio, Lips. m. Octob. 1670. in 4. (in octav. ponit C. à Beughem, p. m. 82.) dein Lugduni Batav. 1671. in 12.
- V. De DOLORE HYPOCHONDRIACO, vulgo, sed falso, putato SPLENETICO, Autore Respond. Emmanuel Blum, Lips. d. 4. Maij 1671. Recusa ibid. 1683. in 4.
- VI. De BALNEIS MEDICIS ARTIFICIALIBUS, Respond. Theophilo Mullero, Lips. d. 6. Sept. 1672. in 4.
- VII. VALETUDINARIUM INFANTILE, Respond. Georg. Heintke, Lips. m. Mayo 1675. in 4.
- VIII. Abstrusum RESPIRATIONIS HUMANÆ negocium, exsulante famosa VACUI fuga, Autore - Respond. Zacharia Neufranz Lipsiæ d. 7. April. 1676. in 4.
- IX. De EPILEPSIA, Autore - Respond. Godofredo Weinlig, Lipsiæ d. 16. Jun. 1676. in 4.
- X. PARVA MAGNORUM MORBORUM INITIA, Autore- Resp. Maximil. Preuss. Lips. d. 13. Octob. 1676.
- XI. De SUFFOCATIONE HYPOCHONDRIACA, Resp. Troppanniger Lips. 1676. in 4.
- XII. De TEMULENTIA, Disp. Inaug. Autore- Resp. M. Joh. Frid. Ittig, Lips. d. 3. Octob. 1678. in 4.
- XIII. De CEREBRO ORCÆ vulgari supposititia larva SPERMATIS CETI, develato, Lips. Respond. Adam. Sigism. Scholzio d. 27. Octob. 1678. in 4.
- XIV. De OPII VIRTUTE DIAPHORETICA Respond. Joh. Acoluth, Lips. d. 11. Julij 1679. in 4. & Jenæ ap. Joh. Bielckium 1682. in 4. teste Mercklino.

XV. De